

quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam! Viderint ergo hæretici, et quicumque negotium fidei tam leve iudicant, ut pro arbitrio dominorum vel amicorum, pro vietu quotidiano, vel pro occasione connubii fidem qualemcumque acceptent, vel acceptare parati sint, quanto in periculo versentur, sciantque se pro capite et supplicio æternæ aleam jacere. Quid enim quæso est, quod dicitur: *Condemnabitur?* Illud utique quod Psal. X. dicitur: *Pluet super peccatores laqueos: ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calidus eorum:* et quod Psal. XX. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui. Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis:* et quod Apoc. XX. *Missus est pseudo-propheta in stagnum ignis et sulphuris.* Certissimum enim est, fore ibi ignem verum, omnibus nostris ignibus majorem et acriorem, quo omnes hæretici ardebunt et die ac nocte in omnem æternitatem cruciabuntur, quamdiu erit infernus, quamdiu stabit cælum, quamdiu vivet Deus. Tunc maledicent deceptoribus suis et magistris, a quibus in hanc miseriam inducti sunt: maledicent diabolo, qui eos excæcavit, et sub specie pietatis variis illusionibus fascinavit: maledicent et sibi ipsis, quod eis aures præbuerint, quod doctrinam novitiam tam stolidè absque diligenti examine susceperint, quod in re tanta exploranda tam cæci, tam socordes fuerint.

IV. Discimus fidem Christi toti mundo prædicandam esse. Ait enim Dominus: *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ:* sequiturque: *Illi autem profecti prædicaverunt utique.* Unde sequitur sectariorum fidem nequaquam esse veram; siquidem Lutherani Saxonia, Hassia et Wirtembergia, et civitatibus quibusdam imperialibus constringuntur; Calvinistæ Anglia, Gallia et Hollandia; Hussitæ Bohemia; Anabaptistæ Moravia; Schwencfeldiani Silesia; Ariani Transylvania, etc. Sola fides Romana per universum orbem prædicata est. Quod si fides Lutherana, fides Christi esset, debebat dicere Christus: *Euntes in Saxoniam, Hassiam et Wirtembergiam, prædicate evangelium omnibus ibi degentibus.* Quo pacto de nobis actum esset, actum de Africa, Asia, America et maxima parte Europæ, in quas evangelium Lutheri, Calvini, Hussii et cæterorum nequaquam peregrinatur; sed quod plus est, magis ac magis in dies redigitur in arctum. Habet enim quod agat, ut seipsum defendat, nam a Calvinismo passim Lutheranismus devoratur; viperarum more, quæ ab iisdem enecari dicuntur, quibus in utero vitam impertiverunt. Calvinismus autem et ipse suum hostem habet **atheismum.**

V. Discimus, ad suadendam fidem requiri legitimam missionem et miracula missionum, quia audimus apostolos a Christo missos ad prædicandum; *Euntes in mundum universum, etc.* Eam necessariam esse testatur apostolus ad Rom. X. dicens: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Porro ea missio, vel est extraordinaria seu immediate a Deo, et tunc debet probari miraculis, sicut Moyses, propheta et apostoli probaverunt, vel saltem eximia vitæ sanctitate et divino testimonio, sicut missio Joann. Baptistæ: vel est ordinaria et mediata, et hæc debet fieri per homines quos Deus ad id constituit.

Miracula, quia addit Dominus: *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur, etc.* Hæc autem requiruntur, cum nova fidei doctrina seu lex introducit; quemadmodum in India plurima sunt facta ab evangelii præconibus, cum illud introduxerunt, fiuntque etiamnum.

Ex quibus etiam luce clarius est sectarios nostri temporis fidem Christi non habere. Neque enim possunt probare vocationem suam, sive mediatam (quia a catholicis episcopis nequaquam missi sunt, a sæcularibus vero mitti non potuerunt) sive immediatam, quia carent miraculis, et divinis testimoniis. Nota sunt ridicula Calvini et Lutheri miracula, quorum ille mortuum a se subornatum non sane vitæ reddidit, sed vere mortuum invenit: hic vero suffocatum quemdam in Albi suscitare quidem conatus est, sed irritò conatu; et alias dæmonem expulsurus, ab eodem ipsemet dire exagitatus est; quæ quia nota sunt, non recenso. Cum ergo hoc miraculorum sigillo careant Lutheranorum et Calvinistarum cæterorumque nostris temporis sectariorum dogmata, quis eis fidem habeat? Sane fateri cogor, quod paulo ante negavi, magna eos fide præditos esse; siquidem ea credunt, quæ nos (modicæ fidei homines) minime credere possumus. Credunt enim imprimis homini apostatæ et monacho excucullato, tamquam Dei prophetæ, licet nullum unquam miraculum fecerit, sed præterea turpissime vixerit in aleis, pergræcationibus, fidium lusu, et perpetuo incestu cum fugitiva moniali. Exemplum unum capite. Florimundus Raimundus regis Galliarum consiliarius, in l. de origine hæresum, l. III. c. VI. «Narravit, inquit, mihi vir honestus in aula Saxonica tum versatus, Lutherum die quodam Sibyllam ducis conjugem salutandi causa in gynæceum ingressum, cum præ cæteris eleganti forma virginem conspexisset, leviter permulso ejus mento, velut alludentem ad ducissam, conversum dixisse: O pulchrum diabolus! Equidem si tales in inferno essent diaboli, eo venire non recusem. Hisque verbis ducissam vehementer fuisse offensam; ducem vero propheta

ut amore fascinatam dixisse, Lutheri corpus arna et ossibus constare ut cæterorum hominum: sed animam ejus plane divinam esse ac cælestem.» Hæc ille, videte quanta in hoc duce fides? Credidit enim Lutherum secundum corpus hircum et Veneris prolem esse, secundum animam vero divinam ac cælestem. Quis nostrum istud crederet, cum dicat ipsa Veritas e fructibus cognoscendam arborem? Sed nec minor Lutheranorum fides est in eo, dum illius sui prophetæ, novam et omnibus retro sæculis inauditam doctrinam eamque exoticam et stupendam, qua malum dixit bonum et bonum malum, nigrum album, et album nigrum, pro evangelio arripiunt. Credunt enim se etiam si inquinatissime vivant, tamen amicos Dei esse et optimum locum in regno cælorum habituros. Credunt Christum in eucharistia non esse nisi una cum substantia panis et quando reipsa sumitur: ante sumptionem Christum non adesse, ideoque non adorandum. Annon hoc difficilior eo, quod nos credimus et docemus?

VI. Discimus, quam felix et præclarus sit virtutis exitus, tametsi ejus ingressus asper est et contemptus. Ecce enim Christus, qui in hoc mundo asperam, pauperem et laboribus pleenam vitam egit, quam gloriosum hodie finem et laborum coronidem sortitus est? Bene igitur veteres virtutum describere typo palmæ, apud Pier. L. hierogl. quod ipsa inferne scabra et ramis destituta, adeoque conscensu difficilis; superne vero speciosa sit, folia sua explicans et magna densitate expandens. Talis fuit vita Christi, aspera et laboriosa in terris; speciosa in ascensione ad cælos: quam bene S. Bern. ser. II. de ascensione, *felicem itinerarii ejus clausulam* appellat. Jacuit in terra Dominus sub pedibus Judæorum, cum ad terram prostratus et cruci aptatus fuit, nunc vicissim Judæos sub pedibus suis posuit: ibi cum ignominia in crucem elevatus fuit; nunc cum ingenti gloria ad cælos et Patris dextram elevatur: ibi socios habuit latrones; hic vero ss. patres gloria vestitos: ibi audiit blasphemias Judæorum; hic audit harmoniam et applausum angelorum: ibi a Patre derelictus fuit; hic a Patre assumptus et ad dextram collocatus. Hæc igitur, auditores, hæc est via cæli, virtus inquam; hic exitus virtutis, gloria. Eo et nos vocamur: *Quo enim præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis,* inquit S. Leo. Dicamus ergo cum Salomone, Cant. VII. *Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus. Ascendam primo in crucem; et hinc in Oliveti montem unde ad cælum ascendit Dominus. Neque enim mons iste longe admodum distat a Calvariæ monte: sabbati tantum itinere, ut scribit S. Lucas, Act. 1. hoc est, exiguo valde,*

medio fere milliari Italico, quod per horæ quadrantem confici potest. Ergo a virtute ad gloriam, a pugna et passione ad victoriam, a cruce ad cælum, non nisi iter sabbati, iter breve, iter quietis, iter leve, et quasi jucundum deambulacrum est. Quanta cum lætitia confecerit hoc iter martyres cæterique sancti, quibus terra exilium fuit! Cum his, auditores, imitemur Christum, ascendendo primum in palmam virtutis, in montem crucis: ut inde brevi itinere ascendere mereamur ad montem gloriæ.

CONCIO XI.

MYSTERIA.

- I. Cur apparuit Christus discipulis recumbentibus? —
- II. Cur exprobrat eis incredulitatem? — III. Quomodo omni creaturæ prædicandum evangelium? —
- IV. Quomodo qui credunt, salvi fiunt? — V. Quomodo signa illa credentes secuta? — VI. Quomodo Christus cooperatus est apostolis? — VII. Cur variis in locis edita miracula?

THÉMA.

Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ. Marci XVI.

Vidistis hic in templo, auditores, et nunc per cantando evangelio extinctum esse cereum paschalem. Et quamobrem existimatis? Nimirum quia hodie discessit a nobis Dominus noster Christus, qui de seipso dixit: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi,* Joan. IX. Hodie ergo noster ille sol, cujus a: *Summo cælo egressio et occursum usque ad summum ejus cursum autem peregit, et nobis quidem occidit, cælo autem ortus est.* Unde et hodierna in festivitate, finiunt evangelistæ sua evangelia, in Christi videlicet ascensione. Hodie similiter finiuntur festa Christi Domini, et peregrinatio ipsius felicem sortitur clausulam, dum per multos labores rediit in patriam, unde ad nos exierat. Equum igitur est ut hodierni evangelii lectionem, veluti postremam studiose expendamus.

I. Cur apparuit Christus apostolis recumbentibus? Resp. primo, ut ostenderet se non abhorre a conviviis Christianorum sobriis et modestis, quale erat illud apostolorum, imo talibus delectari, quando cum moderamine et gratiarum actione percipiuntur dona Dei. Unde probabile est assedissee Christum, et ad fidem resurrectionis suæ Anno confirmandam cum illis comedisse. Sic enim S. Lucas ait Act. 1. *Convalescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, etc.* Quod immediate ante ascensionem videtur factum esse.

Secundo, ut epulas apostolorum spirituali aromate condiret paternæ objurgationis; ut ita

juxta legem agni comedendi, manducarent cibos cum agrestibus lactucis, sicque a corporalis cibi illecebra ad spiritualis cibi gustum abstraherentur.

II. Cur in *discensus* sui exprobrat Dominus discipulis incredulitatem et duritiam cordis? Respondet primo, S. Augustinus, l. III. de consensu evang. cap. XXV. id fecisse, quia tunc mittebat apostolos ad gentes, quæ credere jubebantur, et credituræ erant, licet non vidissent. Annon igitur objurgandi erant discipuli qui præcones fidei futuri prius, quam vidissent Christum, credere volebant iis, qui narrabant ipsum resurrexisse et visum a se esse? Quomodo enim aliis persuaderent fidem, si eam adhibere narrantibus ipsimet noluerunt? Audierant ab angelis, a mulieribus, a Petro, a discipulis egressis in Emmaus, ab undecim congregatis, et aliqui tamen illorum adhuc dubitabant.

Respondet, secundo S. Gregorius, hom. XXIX. in evang. *Idcirco Dominus tunc discipulos increpavit, cum eos corporaliter reliquit; ut verba quæ recedens diceret, in corde audientium arctius impressa remaneret.* Nimirum ut sigillum impressuri mandato, mallei ictum adhibemus, quo sigillum fortius imprimatur et hæreat diutius; ita objurgatio principis aut parentis, præsertim recessuri vel morituri sedulo observatur, et memoriæ commendatur. Sic Moyses et Josue morituri severe admonerent suos, ut Domino servirent et invocabant contra eos in testimonium, ille cælum et terram, hic vero lapidem ad hoc destinatum. Adde ex Lyrano, ideo increpatos apostolos, ut nossent gentes aliæ, quibus erant prædicaturi, se quoque increpandas et damnandas, si credere noluerint; siquidem et apostoli propterea increpati sunt. Ergo sicut Carolus Magnus capulo gladii sui obsignavit decreta sua ut ostenderet, gladio se punitorum legis prævaricatores; ita sua increpatione ostendit Christus quanti faceret fidem et quam severe aliquando objurgaturus sit incredulos.

Respondet tertio, S. Bonaventura idcirco objurgasse, ut humiliores remaneret. Maximam sane dignitatem contulit eis Christus, cum legatos et præcones evangelii sui fecit: *Fecit, ergo Dominus hic, quod ait Job, cap. XXVIII. ventis pondus.* Quia enim apostoli ut nubes volatum erant et orbem sapientia sua, linguis et miraculis rigaturi ac fecundaturi, ne ex hoc elevarentur in superbiam et evanescerent atque perirent. Apposuit illis Christus pondus humiliationis, exprobrando eis incredulitatem et duritiam cordis eorum; quasi illis dicens: Ne miremini aut indignemini, si duros et incredulos offenderitis, nementote et vos fuisse tales.

III. Quomodo jubet Dominus prædicari evan-

gelium *omni creaturæ*? « Numquid s. evangelium, ait S. Greg. hom. cit. vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum? » Respondet ergo primo, quia: « Omnis creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Omni ergo creaturæ prædicatur evangelium, cum soli homini prædicatur: quia ille videlicet docetur, propter quem in terra cuncta creata sunt. » Causam etiam insinuat Dominus, propter quam prædicari vult hominibus, quia creaturæ Dei sunt, et quidem nobilissimæ propter quas aliæ omnes creatæ sunt.

Respondet, secundo idem sanctus, et magis ad mentem Christi: *Potest etiam, inquit, omnis creaturæ nomine omnis natio gentium designari. Ante etiam dictum fuerat: In viam gentium ne abieritis. Nunc autem dicitur: Prædicate omni creaturæ.* Vult ergo dicere: Prædicate omni hominum statui, conditioni, sexui, nationi: Quomodo descendit imber et nix de cælo, sic erit verbum meum, ait Deus per Isaïam, cap. LV. Ut enim imber et nix descendens, super omnes cadit, qui sub dio sunt, neminique parcat; ita voluit Christus spargi verbum suum, ut etiam factum est primo, Jerosolymis in festo pentecostes; deinde, in orbe toto.

Respondetur tertio, præcipit Dominus prædicare evangelium suum, ita ut omnes etiam mutæ et surdæ creaturæ audiant et sint testes contra eos qui audire noluerunt. Hoc sensu dixit Moyses populo Hebræorum extrema daturus monita, Deut. XXXII. *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei:* et Josue similiter moriturus contestans populum ad obediendum Deo, testem statuit lapidem, quod eos admonuerit dicens: *En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini, quæ locutus est vobis,* Jos. ult. quod ad affectum quæ in presentia et contestatione hujus lapidis vos admonui. Sic etiam possem dicere, hanc cathedram fore testem mihi in die judicii, quod vos auditores meos serio admonuerim fugere peccata et venturam iram, quia ex hac ego vobis locutus sum; et si Deus illi vellet tribuere loquelam, ut asinæ Balaam, testimonium in vos diceret: vel etiam, si nolint homines audire Dei præcones, converti eos jubet ad creaturas, in confusionem illorum. Sic propheta missus ad Jeroboam, omisso rege sermonem convertit ad altare, III. Reg. XIII. S. Antonius de Padua, cum eum audire nollent homines, ad fluvium Ariminensem piscibus prædicare cepit, qui certatim adnatantes ad litus, dicentem audierunt, ut in ejus vita.

IV. Quomodo dicitur: Qui crediderit et bapti-

zatus fuerit, salvus erit? « Fortasse enim, inquit S. Gregorius, hom. cit. unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi salvus ero. Verum dicit ei fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* » Loqui autem Dominum de hac vera et viva fide, certum est. Primo, quia in monte Galilææ hoc idem mandatum dans apostolis addidit ad fidem et baptismum, observationem mandatorum: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis,* Matth. ult. Secundo, quia tunc temporis credere idem erat, ac fidem et religionem christianam (cujus fundamentum est credere) totam suscipere: seu a Judaismo, aut ethnicismo ad Christi Ecclesiam accedere. Nulla adhuc erat hæresis, adeoque nec Lutherana aut Calviniana, quæ fidem separaret ab operibus. Tertio, quia sic intellexerunt et declararunt apostolus Paulus ad Galatas, cap. V. *In Christo Jesu, id est, christianismo, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur:* et S. Jacobus, cap. II. fidem sine operibus vocat mortuam et inanem. Nam: *Et dæmones credunt et contremiscunt,* inquit. Unde S. Anselmus ejusmodi nudam fidem, vocat *dæmonum fidem*, non Christianorum. Quarto, quia etiam baptismus, quem requirit Dominus, est opus, quod jubet abrenuntiare diabolo, promittere et servare obedientiam Christo, etc. « Tunc autem veraciter fideles sumus, inquit S. Greg. cit. hom. si quod verbis promittimus, operibus complemus. In die quoque baptismatis omnibus nos antiqui hostis operibus atque omnibus pompis abrenuntiare promissimus, etc.

V. Quomodo signa illa, quæ recenset Christus, secuta sunt credentes? « Numquidnam, fratres mei, inquit S. Gregor. hom. dicta, quia ista signa non facitis, minime creditis? » Respondet ergo primo: « Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium miraculis fuerat nutrienda; quia et nos cum arbusta plantamus, tandem eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus, et si semel radiceem fixerint, irrigatio cessabit. » Hæc ille. Promittit ergo Dominus Ecclesiæ suæ miracula, sed primo, tempore competente, cum opus fuerit, ut imprimis erat in Ecclesia primitiva, quando fides erat nova et tenella, et quando nationes infidelium ad fidem erudiuntur, uti in India, China, Japonia, America, ubi in eorum conversione plurima sunt patrata a S. Xaverio et aliis

sæculo superiore. Modo non amplius necessaria sunt. Ad hæc: *Miracula ista,* inquit S. Augustinus, in l. de utilitate credendi, cap. XVI. *modo non fiunt, quia non moverent, nisi mira essent: at si solita essent, mira non essent.* Secundo, aliquibus tantum et certis hominibus, quibus gratiam miraculorum daturus erat, uti fere sanctis tantum viris. Novimus ex Actis apostolorum S. Paulum eiecisse dæmonia, Act. XIX. imo exorcistæ pene adhuc pueri in Ecclesia primordiis dæmones eiciebant ex hominum corporibus. Taceo Antonium, cujus vel audito nomine, egrediebantur dæmones, taceo Hilarionem, Danielem Stilitam et alios innumeros. Linguis locuti sunt novis, apostoli imprimis in festo pentecostes: deinde, episcopi illi et confessores Africanici, qui in persecutione Wandalica linguis excisis recte nihilominus locuti sunt, apud Greg. l. II. dial. cap. XXXII. Baron. anno 484. Item S. Servatius Trajectensis episcopus, qui uno idiomate concionatus, a variis hominibus diversæ nationis et linguæ intelligebatur, apud Marulum, l. III. cap. IV. Idem donum habuit S. Vincentius Ferrerius ordin. Sancti Dominici, S. Antonius de Padua, S. Xaverius, etc. Serpentem sustulit et excussit manu sine læsione S. Paulus in insula Melite, Act. XXVII. imo ex eo tempore in gratiam S. Pauli serpentes illius insulæ veneno carent: et terra ipsa veneni antidotum facta est, Baron. anno 28. Draco interemptus a S. Hilarione, basiliscus a Leone papa IV. alii a serpentibus insulas aliaque purgarunt loca. Mortiferum sine noxa vinum bibit imprimis S. Joannes evangelista; aquam venenatam S. Dorotheus, apud Pallad. in hist. Laus. cap. 1. araneam S. Conradus episcopus Constantiensis; poculum venenatum signo crucis rupit S. Benedictus. Super ægros manus imposuere apostoli, et eos curavere, adeo ut umbra Petri et semicinctia et sudaria Pauli hoc præstiterint, ut testantur Acta apostolorum. Taceo claudum erectum ægros sanatos, mortuam suscitatum, aliaque ibidem relata, et similia innumera ab aliis sanctis patrata.

Respondet secundo, S. Gregorius hæc miracula, quæ corporaliter apostoli faciebant, quotidie adhuc fieri spiritualiter in Ecclesia, ut alias explicavimus, quæ miracula: *Tanta majora sunt, inquit, quanto spiritualia: tanto majora sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur.*

VI. Quomodo Dominus cooperatus est apostolorum prædicationi? Resp. primo, signis et miraculis; secundo, internis auxiliis et inspirationibus corda audientium aperiendo et movendo, uti Act. XVI. aperuit cor Lydiæ. Nam: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus,* inquit apostolus, 1.

Cor. III. Apostoli forinsecus, Deus operabatur intrinsecus, unde *Dei adiutores* se suosque vocat. Idem apostolus, Deus igitur principalis agens est.

Ergo si quis sentit moveri, ad se audiendum, credendum et faciendum Dei verbum, Deo gratias agat: quia non nihil sumus, qui plantamus et rigamus. Si quis autem non sentit, is ad Deum recurat, qui habet claves cordium: *Aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit*, ut scribit S. Joannes, Apoc. III. siquidem etiam auditores cooptari debent per liberum arbitrium et orationem aliaque media, quibus gratia illa impetratur.

VII. Cur subinde variis in locis edere voluit Deus miracula? Resp. primo, ut suam presentiam et providentiam mortalibus declararet. Si enim nihil unquam supra naturae vires eveniret, facile sibi persuaderent homines nullum esse numen, cui res humanae curae sint; sed omnia quodam naturae impulsu fieri. Prodit se quidem in rerum omnium mira conservatione, caelorum motu, corporum fabrica, etc. sed pauci tamen eam mirantur, pauci in illis Deum intuentur. Debent ergo homines subinde ad hoc excitari per rara quaedam opera naturae vires excedentia. Secundo, ut hominum animi etiam in aliis fidei capitibus confirmentur, omni prorsus dubitatione abstersa; et ut illis rite, debitaque cum reverentia utantur. Sic multa facta sunt per eucharistiam, baptismum, extremam unctionem, ordinem, invocationem sanctorum, etc. vel horum occasione, nimirum ut homines intelligerent, quod loco ista sint habenda, qua reverentia usurpanda. Tertio, ut doctrinam eorum, per quos ista facit, et vi-

tam nobis commendat. Sunt enim miracula divina quaedam testimonia tum veritatis doctrinae, tunc sanctitatis vitae, praesertim si vita conformis doctrinae. Quarto, ut sanctos suos hoc modo honoret. Nihil enim est, quod ita celebres faciat viros sanctos per orbem, et populos ad eorum amorem, cultum et imitationem excitet, ut miraculorum effectio. Sicut enim Deus vult se amari ab hominibus supra omnia, proximum autem non supra omnia, sed in suo gradu, propter Deum: ita vult ipse se coli supra omnia, nimirum tamquam primam omnium causam effectricem et ultimum finem; sanctos autem non hoc modo, sed in suo gradu, et propter respectum quem habent ad Deum tamquam filios adoptivos, participes regni, amicos charissimos, etc. Unde nulla hic umbra idololatriae, ut haeretici calumniantur. Nam per idololatriam supremus honor, quo nimirum aliquid aestimatur et colitur tamquam numen et primum principium, impenditur: hoc autem modo non coluntur sancti. Quinto, ut occasione beneficiorum corporalium, quae populus sperat obtinere, excitetur ad penitentiam et vitae emendationem. Ubi enim miracula fiunt, saepe multa hominum magnis sceleribus inquinatorum milia confluent: qui ibidem gravi praeterita vitae concepto dolore, suisque peccatis salutari confessione expiatis, seriam vitae emendationem suscipiunt; sicque fit ut multa milia hac ratione salventur, qui alioquin erant perituri. Denique, per miracula omnes excitantur ad reverentiam et laudem numinis, ad gratiarum actionem, et gaudium spirituale; omnium animi eriguntur, et bonam spem adfuturi auxilii in afflictione concipiunt. Ita fere Lessius, de provid. divin.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

GAUDENDUM NOBIS DE ASCENSIONE CHRISTI.

I. Quia Dominus noster tam gloriosus ascendit in caelum. — II. Quia nos cum illo ascendimus in spe. — III. Quia jam perfectius adherere possumus Christo. — IV. Quia jam mercedem nobis promissam cernimus. — V. Quia exinde cepimus mortem non timere.

THEMA.

Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in caelum. Marc. ult.

Quid est auditores, quod hodie post cantatum evangelium, cerei paschalis, qui a paschate usque

huc per integrum officium ardere solebat, lumen extinctum fit? An fortassis indicat, lumen nostrorum oculorum, Christum hodie per ascensum in caelum ab oculis nostris subtractum? Ita omnino. Sic enim evangelium praedictum loquitur ad finem: *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis assumptus est in caelum.* At vero verbum istud, et haec cerei extinctio tristitia nobis nova, non laeta videntur annuntiare, quasi nobis dicant: Dominus quidem Jesus subtractus est a vobis in caelum, et lumen oculorum vestrorum extinctum est: vos igitur ferricolae in tenebris jam sedetis. Quae ergo nobis causa laetitiae hodierna die? Et qua ratione S. Leo papa, ser. 1. in hod. festum vult: *Ut dignis exultemus gaudiis,*

et pia gratiarum actione laetemur? Videtur enim nobis dicere, quod angelus Raphael excacato Tobiae dixit: *Gaudium tibi sit semper*, cui Tobias: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video?* Tobiae III. Quomodo nos gaudebimus qui lumine caeli et terrae, Christum jam non amplius videmus? Verum auditores nihil istud obstat, quominus hodie dignis exultemus gaudiis; quando et S. Lucas, cap. ultimo asserit discipulos Christi a spectaculo ascensionis ejus cum gaudio, et quidem magno regressos esse in Jerusalem. Superest ergo videre, quibus rationibus gaudere de ascensione Domini possimus.

I. Quia hodie Dominus noster tam glorioso triumpho ascendit in caeleste regnum suum. Scimus jam cui credamus, quantus ille et quam potens Dominus sit, caeli nimirum et terrae monarcha; prout etiam Sanctus Paulus, II. Timoth. 1. ait: *Scio cui credidi, etc.* Quis autem servus non gratulatur sibi, cum videt suum dominum ad summa evectum imperia? Vidimus quidem eum cum in terris degeret, omni sapientia et virtute praeditum, sed interim vili habitu et aspectu spretum a Judaeis, velut reum accusatum; quod se regem fingeret, illisum ab Herode, derisum etiam a Pilato dicente: *Ergo rex es tu?* quasi diceret: Tu homo tam inops, miser, vilis? At vero hodie ostendit se revera regem esse, nec quales sunt reges hujus saeculi, mortales, terreni, angusti, miseris subjecti, etc. sed immortalem, aeternum, universalem, omnibus imperantem, caelestem. Quis unquam nubibus imperavit? Quis in caelum visibiliter ascendit? Quis ibi thronum suum posuit, nisi Christus Dominus noster et quem ibi jam timere potest? Imo quis ipsum non timere debet? Quis in caelum jaculari potest, et in quem ipse de caelo jaculari non potest? Cum quis princeps evehitur ad imperatoriam dignitatem, evehuntur simul et aulici ejus, quia majora acquirunt stipendia, titulos, respectus, honores. Certe sub Henrico III. imperatore Moguntiae pentecosten celebrante, famuli Moguntini episcopi et Fuldensis abbatis in templo usque ad caedes et sanguinem digladiati sunt pro honore et praecedentia suorum dominorum, Naucl. vol. II. gener. XXXVI. ut nimirum per heros etiam ipsi ministri magis coruscarent. Quid ergo non speramus nos a Domino nostro, evecto super omnes caelos et super omnem potestatem? Accedit quod non tantum servi, sed et fratres ejus sumus, sic ab ipso appellati Joan. XX. *Vade ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et patrem vestrum.* Scimus quanto gaudio perflusus sit patriarcha Jacob, quando audiit filium suum Joseph non solum vivere, sed domi-

nari velut principem totius Aegypti. Revixit enim spiritus ejus, et dixit: *Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit*, Genes. XLV. quasi dicat: Jam nihil est, quod ulterius petam, hoc mihi instar omnium est, nec minus gaudere fratres ejus potuerunt, quando ab eo audierunt: *Quia omnes opes Aegypti vestrae erunt*, eodem cap. Non poterat Joseph patri suo jam seniculo nisi ab breve tempus benefacere, multo minus vitam prorogare: nec fratribus nisi terrena bona conferre; quia non caelo sed terrae, ejusque angustiae imperabat. At vero frater noster primogenitus, qui jam caelo et terrae imperat, vitam nobis omni ex parte beatam conferre potest. Sufficit ergo nobis, quod ipse in caelo regnet: quomodo enim fratribus suis non communicabit regnum suum: ipsi data est omnis potestas in caelo et in terra. In ejus vestimento (id est, sanctis et sobole, ut explicat Sanctus Ambrosius, Gregorius et alii) scriptum est: *Rex regum et Dominus dominantium*, Apocal. XIX. quia filios suos faciet reges, qui per vestimentum designatur juxta id Isa. XLIX. *Omnibus his velut vestimento vestieris.* Perfectius tamen erit hoc gaudium, si mere et praecise gaudeamus propter Christi gloriam, quam jure merito sustulit post tot iniquissima Judaeorum opprobria et odia; quando videmus jam gloriosa ejus ascensione confusos esse Judaeos, qui illum in medio sublatum et erasum de terra viderant. Clamaverant illi: *Videamus si veniat Elias liberans illum: et: Si Filius Dei est, descendat de cruce.* Sed videte jam Judaei, non liberatum ab Elia, sed gloriosius ascendentem in caelum, quam curru igneo raptus sit Elias. Hinc enim non in caelum, sed alio; non suis sed alienis viribus, abreptus est: Christus propria virtute ascendit in caelum. Videte non jam descendentem de cruce, quod aliquis Samsón aut Milo potuisset, sed gradientem in multitudine virtutis suae per nubes ad caelum.

II. Quia et nos una cum illo in caelum ascendimus. Siquidem ipse omnium electorum nomine, velut eorum legatus et princeps hodie caeli arcem occupavit, ut eam successu temporum subsecuturis custodiret. Ita enim ipse praedixit Joan. XLIV. *Vado parare vobis locum: et: Si abiero et preparavero vobis locum, iterum veniam et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis.* Accedit apostolus ad Ephesios II. *Consedere nos fecit in Christo in caelestibus: nos adhuc viventes in spe, mortuos electos in re.* Et Sanctus Leo, sermone primo de ascensione: *Hodie non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam caelorum in Christo superna penetravimus.* » Quando Dominus aliquis praemittit servum suum in templum, ut ipsi sedem aliquam occupet brevi secuturo, vere dicere potest, se illi